

DE SACRIS ARCANIS

B. VIRGINIS AMITTENTIS

ET INVENIENTIS IESUM IN TEMPLO

LIBER DECIMUS

HOMILIA PRIMA

Christus Dominus in templo suae divinitatis, et humanitatis, neon mirabilis scientiae quae in illo latebat, praeclara indicia exhibuit, variaeque huius manifestationis imagines, et figurae proponuntur.

Antequam abditissima arcana, quibus hodiernum evangelium scalet, divina irrorante gratia, pandere aggrediar, oportet rationem reddam, quare Ecclesia catholica in introitu missae huius festivitatis verba quaedam adduxerit, quae singulari antipathia cum historia ipsius evangelii pugnare videntur? Introitus verba haec sunt: *In excelso throno videri sedere virum, quem adorat multitudo angelorum, psallentes in unum; ecce cuius imperii nomen est in aeternum.* Series ista verborum, quam e diametro adversari videatur historiae evangelicae quam audistis, haud difficile erit propalare. Nam in primis Christus Dominus dicitur ibi visus sedere in sublimi aliqua sede: *In excelso throno videri sedere:* ipse autem in templo, in loco humili sedebat, ut ibi adnotat Beda. Unde divus Ambrosius (*sup. cap. sec. Lucae*) inquit: *Traditio synagoga est, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellis, novissimi in pavimento super matras, hoc est, storeas quas humi strabant. Ecce in locis eminentioribus sedebant Doctores, et magistri; in subsellis vero viri alii minoris dignitatis; ad pedes vero magistrorum super storeas sedebant iuniores, quod et tradit Philo Iudaicus (lib. quod omnis probus sit liber), immo et testatur expresse divus Paulus (Acto. 22): Nutritus sum in ista civitate, secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternae legis. Nec pugnat cum hoc evangelista dicit, Christum sedisse in medio Doctorum, quia hebraismus iste idem pollet, quod inter Doctores: ut (Ioa. 1): Medium vestrum stetit*

*quem vos necitis, id est, inter vos: idque adhuc creditibilis fit, tum quod divus Lucas non refert illum, tanquam doctorem, sed tanquam discipulum sedisse audientem et interrogantem; tum quia illa Scribarum, et Pharisaeorum superbia, quos Evangelista Doctores vocat, puerum non tulisset in honoratissimo omnium loco considerare. Deinde verba Introitus vocant virum Christum Dominum. In excelso throno videri sedere virum. Evangelium autem hodiernum puerum vocat illum: *Renavit puer Iesus in Ierusalem:* in Introitu angelos cantantes lego *multitudinem angelorum psallentium in unum:* in evangelio video parentes Christi lamentantes, ac summo dolore filium quaerentes: *Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te:* in Introitu imperium eius nominatur, cuius imperii nomen est in aeternum: in evangelio vero nec maiestatis imperialis vestigium reperies, quinimmo abiectionem, et paupertatem facile colliges, cum parentibus orbatus Christus per triduum, et a cognatis, et notis segregatus, toto illo tempore mendicando vixerit, ut tradunt divus Bernardus (*homil. infra oct. Epiph.*), et divus Bonaventura (*in Apol. pap.*). Ac tandem ibi aeternitas ei attribuitur: *Cuius imperii nomen est in aeternum;* hic vero Evangelista mensura nostri temporis aetatem eius metitur, dicens: *Nunc factus esset Iesus annorum duodecim.* Nihil ergo commune habere videtur introitus ille missae cum evangelica huius festivitatis lectione, immo multa cum illa e diametro pugnantia.*

Bifariam propositae difficultati satisfaciendum censui. Primo assero Ecclesiam catholicam divino Spiritu afflatam, duo haec quae, ut ostendimus, invicem adversari videntur, consulo copulasse, ut haereticorum petulantem audaciam comperceret, qui veram Christi Iesu divinitatem abnegantes, ac purum hominem illum fatentes, ex eo id sibi persuadebant, quod Evangelista ait, illum crevisse scientia, et aetate; incrementum vero manifestum mutationis argumentum esse, nemo am-

bigit, Deus autem immutabilis est (*Malach. 3*): *Ego Dominus, et non mutor.* Ut ergo Ecclesia catholica ostenderet nulla ratione dividendam esse divinitatem ab humanitate Christi, Ioanne dicente (*in sua prima Canon. cap. 4*): *Omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est;* ideo Evangelista plura commemorante, quae solius Christi humanitatem indicabant, totidem Ecclesia ipsa in Introitu adiecit, quae divinitatem eius apertissime ostenderent, ut sic Christus Dominus Deus pariter et homo praedicaretur.

Secundo affirmo, quod tametsi prima facie sacer Evangelista de sola Christi humanitate videatur loquutus, divinitatis tamen eiusdem non obscura argumenta indicat: verba namque Christi (*D. Luc. 2*): *Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse, omnes patres, Cyrillus Alexandr. divus Gregorius Emyssenus, d. Epiphanius, Titus Bostrorum episcopus, Timotheus presbyter, venerabilis Beda, Aymon, Theophylactus, Eusebius, Euthymius, et Lyranus unanimi consensu docent, idque certissimum est, Christum Dominum loquutum fuisse de Patre coelesti, et naturali, non de Iosepho putativo, sequuti in hoc antiquissimum Origenem, qui (in comm. huius loc.) asserit ex hoc loco convinci haereticos, perperam negantes Christi Domini divinitatem: verba Origenis haec sunt: *Primum simpliciter sentientes armeniarum adversus impios haereticos, qui dicunt, non esse conditorem Patrem Christi Iesu, neque Deum legis, sed neque prophetarum. Ecce Patrem Deum templi asseritur. Erubescant Valentiniani audientes Iesum inquentem: In his quae sunt Patris mei, oportet me esse: erubescant omnes haeretici etc.* hactenus Origenes.*

Observatione etiam ad idem dignum est, quod Christus Dominus ad maiorem suae divinitatis manifestationem opponit parentibus suis Patrem aeternum: quasi diceret: vos dicitis: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te;* at ego, cum Patrem Deum habeam in coelis, cuius Filius naturalis sum, habeo alia eius negotia, quibus me incumbere oportet. Non solum autem in hoc evangelio divinitatem Christi, sed et veram humanitatem contra Manichaeos, et alios haereticos, video comprobantem, dum de illo ait divus Lucas (*ibid.*): *Cum factus esset Iesus annorum duodecim:* ecce quomodo ille, cuius egressus est a diebus aeternitatis, et de quo Ioannes (c. 1) intonit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum;* et qui de seipso dixerat (*Ioan. 8*): *Antequam Abraham esset, ego sum, nunc variabili, et caedua nostri temporis mensura metitur, annis, mensibus, diebus, et momentis mensuratur. Olim apud antiquos, ut auctor est Henricus Escuaen in suis Aphorismis (l. 14. num. 3) symbolum temporis fuit serpens caudam sub gutture attractam occultans, significare volentes per hoc, quod quemadmodum anguis in longitudinem porrigitur, et multis circulis, ita et tempus protenditur, et multitudine operum, annorumque constat; per occultationem vero caudae sub collo indicabant occultum esse, quid sit tempus his, qui tempore mensurantur. Verum cum*

Christi Domini scientiam nihil lateret, manifestam esse, symbolum illud temporis quo ipse mensurabatur, in integrum illi non convenire. Sed et minus etiam ei quadrare potest illud aliud symbolum, cuius et idem auctor meminit (*lib. 42. num. 4*) ubi ait: *Falcem in manu Saturni hieroglyphicum fuisse temporis:* quia tempus cum rerum sit edax, omnia falce sua demittit, et consumit: *at cum Christus maneat in aeternum,* etiam morte intercedente, non potuit personam eius demetere, quae immutabilis erat, et nulli corruptioni obnoxia. Haec licet ita sint, tamen quondam Elissaeus (*4. Reg. 4*) quamvis alioquin tantus Dei propheta puerum a mortis somno excitaturus, seipsum puerilibus membris attemperavit, et corpusculo tantillo molem sui corporis ita adaptavit, et commensuravit, ut os ori, caput capiti, manus manibus pueri adhaereret; ita aeternus Dei Filius, nostra carne indutus, ita se illi contemperavit, ut inquantum homo eadem mensuram, et annorum temporis, et caedua mensura, qua natura humana mensuratur, mensurari non dignaretur, ut inter nos homines, velut unus ex nobis conversari posset. Deinde Origenes (*lib. 3. Sympos.*) refert sapientem philosophum cuidam viro multum silenti dixisse: *Si fatuus es, sapientis opus facis; si sapiens, fatui: quo non obscure significavit, oportere sapientium debito tempore manifestari. Cum igitur Christus Dominus esset sapientia Patris, ut d. Paulus (*ad Colos. 2*) dixit de illo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei:* cum etiam de eodem Isaiae oraculum (*cap. 11*) vaticinaretur: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, cum reliquis donis Spiritus sancti, non obscure adumbratis in lapide illo, de quo Zacharias (c. 3): Super lapidem unum septem oculi sunt:* hoc est, super Christum, lapidem angularem, ut loquitur divus Paulus (*ad Ephe. 2*) septem Spiritus sancti charismata descendant, et cum primam, nec modicam vitae suae partem silentio, humilitati, et obedientiae conservasset; ne tamen, tam inopia scientiae, ac potestatis id contingere, quam voluntate, ac arbitrio eius homines cogitarent, pavit sibi Christus, ut Epiphanius (*haeres. contra Ebi.*), et Cyrillus (*l. Theauri c. 7*) indicant, in illa adhuc infirma, teneraque aetate argumentum aliquod edendum sapientiae suae, quo illius tam longo tempore silentium amplius veneremur, et viam parentum ad doctrinam sibi in futurum iam grandior facti praedicandum: ac tandem ex gestis illius in puerili haec aetate coniectarent, illum audientes, quantus in posterum futurus esset Doctor: ut enim ait Sapiens (*Prov. 20*): *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius.**

Pontanus (*lib. 1. cap. 8*) de Alexandri magnanimitate commemorat, inter alia suae generosae indolis, et animi virilis indicia, in pue-

rili aetate ab eo exhibita, illud esse singulari memoria dignum, quod interrogatus, *an placeret ei in certamen currendi venire, cum velocissimus esset?* ipse respondit: *Si certaturi sunt reges, veniam: cupiebatur equidem, prout erat magnanimitas, non viles, sed excellentes candidatos vincere, ut sic maior, et illustrior esset suae victoriae gloria: non secus puer Iesus in certamen literarum vocatus a Patre, ut ipse insinavit, nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? annui, dummodo in certamen illud venirent omnium doctissimi, et peritissimi, ut sic palma, quam de illis reportaret, splendor et gloriosior esset, prout revera contigit: puer enim duodecim annorum supremos Satrapas, ac peritiores magistros ierosolymitanos illius academiae in enodandis sacris arcanis publicè superavit; ut in persona eius regius valetæ praedixerat (Psal. 118): Super senes intellexi.*

Narrat etiam Plutarchus in vita eiusdem Alexandri, quod ad idem argumentum mirifice facit, quod cum equus quidam, quem rex Philippus eius pater multis auri talentis emerat, adeo petulant, et indomitus esset, ut nullum sibi insidere permitteret, adeoque timidus, ut ad aspectum propriae umbrae continuo expavesceret, id puer Alexander patri suo referri audiens, virili animo irruit in equum, et faciem illius versus radios solis convertens, ita ut non posset propria umbram intueri, super illum summa dexteritate, et fortitudine descendit, ac effraenae quae petulantiam compevit, et domavit: quod laelenter videns pater eius, ad eum dixit: *Quaere, fili mi, aliquid regnum, quia macedonicum exiguum est tibi: non dissimiliter Pharisaei, et Satrapae ierosolymitani, qui erant feroces, effraenes, et indomiti, multis praecipitaverant, ut (Acto. 8) legimus: Quos prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? nam autem puer Iesus instar magnanimi Alexandri convertens faciem illorum versus se, tanquam in Solem iustitiae, radios suae doctrinae emittentes, ita fertilem, ac superbiae illorum repressit, ut intricatissimos difficultatum sacrae Scripturae nodos, ab uno puero dissolvi ipsis silentibus non moleste ferrent.*

Huius mirabilis, ac stupendi operis a Christo Domino patrati varias imagines illud adumbrantes in sacris literis reperio observatione dignissimas. Nam in primis Salomon qui tyrum Christi Domini gessit (lib. Sap. cap. 8) his verbis hoc totum opus delineavit: *Habebo, inquit, honorem apud seniores, invenis, et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero: et facies principum mirabuntur me. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermone me plura, manus ori suo imponent; haec Salomon; sed ecce, plusquam Salomon hic, quem sapienter adeo loquentem experti sunt doctissimi illi ierosolymae Rabbinii, ut super prudentia, et consensu eius admirarentur, et stupent, ut ait Evangelista, ac manus ori suo imponentes obtulentes, suoque silentio et admiratione puerum laudarent, multumque honoris ei deferrent. Sed et in eo etiam Salomon sapientissimi huius pue-*

ri figuram gessit, quia sicut Iesus cum esset duodecim annorum, sapientiam suam inter Doctores ostentavit; ita id adumbrans Salomon duodecim annorum attingens, ut docet d. Hieronymus (epist. 13) iudicium illud celebre inter duas meretrices tulit, quo sapientiae suae manifestata indicia exhibere cepit.

Deinde (lib. Dan. cap. 13) legimus, quod Daniel invenis, cum instar aliorum puerorum nullum sapientiae specimen dedisset, duodecim tamen annorum agens, ut sanctus Ignatius vult (epist. ad Magn.), et observat Severus Sulpitius (lib. 2. sac. hist.) senes illos lascivos Babylonis castitati Susanna insidiantes prudenter iudicavit, et ad mortem damnavit: unde illi dictum fuit a sapientibus, et senibus: *Veni, et sedes in medio nostrum, et indica nobis, quia tibi dedit Deus honorem senectutis.* Daniel puer duodecim Christum Dominum significat, cum factus esset Iesus annorum duodecim; sapientes Babylonis sacerdotes denotant, et doctores Iudaeorum: Babylon enim confusio interpretatur; apud Iudaeos autem omnia tunc confusa, et implicata erant, eo quod coelestibus praeponebant terrena, et derelicto Deo adhaerabant diabolo, iuxta illud (Joan. 8): *Vos ex patre diabolo estis.* Unde et ipsis vox illa apte convenit (Psal. 52): *Confusi sunt, quoniam Deus sprexit eos.* Quod autem Daniel interpretatus est somnia Regis, duo significat, tum quod Christus vos divites huius saeculi somniantes, et blandientes vobismetipsis longam vitam habituros, et tamen in puncto ad inferna descenditis, moneat, ut vigiletis, *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam:* tum, quod nostro argumento inserebor, ipse instar Danielis sacratissima divinae Scripturae arcanis multo magis curiosa quam Nabuchodonoris somnia ipsis legis Doctoribus sapienter in templo aperuit. Unde merito ei convenit illud (Ezech. 28): *Omne secretum non est absconditum a te.*

Quid plura? David ad vivum in multis Christum Dominum expressit, praecipue tamen in duobus, quorum meminim sacer Evangelista: nam sicut de Christo ille testatur, *revisse sapientia, et aetate, ita (2. Reg. 3) dicitur: David erat proficiens, et seipso robustior: et si de Christo Lucas refert fuisse in medio Doctorum; ita de David scriptum est (2. Reg. 23): Sedit in cathedra David sapientissimus inter tres.* Quod, quod Ioseph adolecentulus somniis suis divinitus infusus non solum fratres, sed et ipsum patrem Iacob, et matrem suam in admirationem, et stuporem rapuit: certe id nihil aptius delineare potuit, quam sapientiam a puero Iesu in templo manifestatam, quae adeo praefulsit, ut sacer Evangelista dicat: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, immo, et de parentibus eius, Maria, et Ioseph, affirmet: Videntes admirati sunt.*

Verum quidam non immerito interrogant: quomodo cum ad modestiam adolescentium pertinet silentium, et maxime inter seniores; unde Salomon (Eccles. 32) dixit: *Adolescenti loquere in causa tua via cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, et audi taecens simul, et quaerens: subdit: In medio ma-*

gnatorum non praesumas: et ubi sunt senes, non multum loquaris. Hinc Eliu sapienter dixit (Job 32): *Iunior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco meam sententiam capite veritus sum vobis indicare necesse duntaxat.* Sperabam enim, quod aetas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam: ecce modestiam Eliu adolescentis. Quomodo igitur Christus duodecim in publica academia coram caetu seniorum de secretissimis arcanis loquitur? Respondeo, id nulla ratione praesumptioni, aut puerili audaciae tribuendum esse, quia, ut auctor est d. Ambrosius (super epist. 1. ad Corinth. c. 4) in more positum erat apud Hebraeos, ut vulgares etiam audirent cuiuscumque conditionis, aut aetatis essent, dubia quae sibi se offerbant, interrogarent, et ad interrogata responderent.

Addo deinde non esse contra officium, et subiectionem adolescentium, ut in propria causa, debita adhibita reverentia, inter sapientes et maiores natu loquantur. Unde cum inter Doctores in templo congregatos altercatio orta esset de lege, quae multum per omnem modum ad eum pertinebat, quia illius auctor, et instigator fuerat, idcirco absque praedictio debita modestiae et silentii, quod adolescentem profiteri debent, potuit puer Iesus inter seniores illos palam loqui, maxime quia ipse partes discipuli egit, aetatis suae rationem habens, licet aliquoquid revera esset omnium archimagister, ut sic omnibus praereter humilitatis exemplum, et non illis plusquam par erat, sibi arrogare videretur. Interrogavit autem eos, non ut disceret, sed ut audiret, vel potius erudiret: nam interrogatio, et discensio esse videatur, aliquando vero docentis est; et sapienter interrogare est instruere: immo sapienter interrogatio aliquando est fortissimum veritatis argumentum, quo etiam adversarii convincuntur. Cum enim Christus Dominus ex una parte modestiam aetati convenientem conservare vellet, ex altera autem erudire, et veritatem inducere, interrogatio usus est, quae utrique deservit, nam docet cum discere velle videatur. Unde ingeniose Origenes (hom. 19): *Interrogabat, inquit, magistros, non ut aliquid disceret, sed ut interrogans erudiret: ex uno quippe doctrinae fonte manat, et interrogare, et respondere sapienter; et eiusdem scientiae est scire quid interroget, quid respondeat.* Ubi addit tertiam causam: *Oportuit, inquit, primum Salvatorem eruditae interrogationis magistrum fieri, ut posset interrogationibus respondere iuxta rationem Dei, atque sermonem; haec ille.*

Illud autem non pauci interrogant, quae nam fuerit materia interrogationis, quam Christus Dominus fecit senioribus, et quod subiectum illius disputationis? Euthymius, et Titus Bostorum Episcopus (in cap. sec. Lucae), respondent, disputationem illam fuisse de legalibus, et iis, quae ad ritus, et sanctiones legales pertinebant. At divus Hieronymus putat fuisse de questionibus legis; unde (epist. ad Paul.) inquit: *Duodecim annos Salvator impleverat, et in templum sedens de questionibus legis interrogans magis docet, dum prudenter interrogat.* Cardinali autem Toletio, et aliis non paucis visum est, multum verisimile esse disputationem

CARTHAGENA de B. M. F. — Vol. II.

nem illam fuisse in speciali de adventu Messiae, et aliis quae ad ipsum spectabant: Christus enim hoc suo facto intendebat, eos inducere ad investigandas Scripturas de Christo, ut sic disponentur ad recipiendum, et confitendum eius adventum, quod ipse Dominus in principio fere suae praedicationis praestitit. Quando enim in patria sua intravit in Synagogam, ut refert d. Lucas (cap. 4): *Surrexit loquere. Et traditus est illi liber Isaias prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Et merito quidem de Christo sermo iste habitus est, qui totius legis, et prophetarum finis erat.*

Id etiam observandum, quod Origenes (hom. 19) dicit: *Quia parvulus, inquit, erat, invenitur in medio non eos docens, sed interrogans, et hoc pro aetatis officio, ut nos doceret, quod pueris, quaevis aetatis, et eruditissimi sint, convenit, ut audiant officio magistrorum, quam docere desiderant, et se vana ostensione non iactent.* Atque haec est praecipua causa, cur interrogatione sit usus. Altera est, quam tradit Gregorius (hom. sec. in Ezech. et 3. par. Pastor. adnot. 26): *Vigilanti, inquit, consideratione pensandum est, quod cum Iesus duodecim annorum dicitur in medio Doctorum sedere, non docens, sed interrogans invenitur; quo exemplo ostenditur, ne infirmis docere quis audeat. Si ille puer ceteris doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam, verbum scientiae ipsis doctoribus ministravit: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA II.

Variae proponuntur causae, ob quas Christus Dominus voluit manere in Ierusalem, in illa verba: Remansit puer Iesus in Ierusalem.

Cum Christus Dominus non errore, nec casu, ut aiunt, fortuito, instar aliorum puerorum, sed summo consilio, quia, Sapientia Patris erat, in Ierusalem manere decreverit, parentibus dimissis, pios animos pulsat desiderium agnoscendi rationes et causas, quae ad id faciendum illum impulerint. Et quidem ab illis exordiens, ob quas elegit manere in Ierusalem, Evangelista dicente (Luc. 2): *Remansit puer Iesus in Ierusalem: illam singulari observatione dignam primo loco appono, quod consilio ierosolymae remanere voluit, ut in eadem urbe, in qua multus iniuriis afficiendus, ac turpissima crucis morte multandus erat, omnes illas contumelias, et cruciatu prius animo revolveret, et ruminaret. Praecepit enim Deus olim animal, quod non ruminasset, minime in sacrificio sibi offerri; si tamen ruminabat, et ungulam divisam habebat, pergratum illi erat sibi macerari. Utraque haec conditio nentiquam potuit desiderari in Christo Domino, ut hostia, quam in Ierusalem aeterno Patri in ara crucis oblaturus erat, pergrata*

ei existeret, elevum ruminabat, cum multo ante tempore animo suo versans sacrificium, quod a se offerendum erat, illud attentissime perpenderet. Immo non infini nominis interpretes arbitrantur, ipsum tanquam praedictum futuri agonis, agentem adisse hoc triduo hortum Getsemani, ubi sanguinem vivum erat effusus prae angustia futurae pugnae. Recogitasse etiam ibi a discipulo perfido tradendum venisse etiam in domos principum sacerdotum Herodis, et Pilati, a quibus erat condemnandus, et illudendus. Habebat in illa perili aetate divisam ungulam, hoc est, discretionem, et sapientiam maximam. Ungula enim divisa discretio est symbolum, quemadmodum observant Origenes (hom. 7. in *Lev.*), et d. Hieronymus (in *Psal.* 95), d. Augustinus (hom. 45), Hesychius (in *hunc Lev. loc.*). Ratiocinabatur igitur, et philosophabatur haec omnia, animo suo illa revolvens. Unde, et templum Ierosolymitanum ingrediens considerabat inspecis sacrificiis in eo oblati, quemadmodum illa animalia sic ipsius essent umbra, et imagines; et quod non multo post tempore, iam non vitulus, agnus, columba, aut taurus, et similia immolanda forent, sed ipsemet futurus esset victima. Videbat se quasi iugulari in agnis, immolari in vitulis, et in omnibus sacrificiis offerri, quod solus filius, et parentes eius penetrabant, eo quod tunc Iesus duplici velamine tegebatur, inde velamine literae, hinc carnis pariete, iuxta illud Sponsae (Cant. 2): *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Oculi enim eius erant veluti cancelli, per quos corporaliter Verbum divinum, quod in carne illa latebat, quod fors fidebant intuebatur. Unde videtur mihi quod scitis Princeps antequam bellum aggrediat, arma sumit, galeam, thoracem, loriam, et alia id genus, quoque corpori ea adaptat, ut experiat, quomodo sibi congruant, deinde locum certaminis equo suo insidens perambulatur, diligenterque omnia perlustrat, ut postea tempore congressus cum hoste melius, ac facillius dimicet: ad eundem modum Filius Dei sub humana carne latens, hoc triduo arma agonis sui mente tenus suscipit, et specialis haec meditatio in proprio loco certaminis, quomodo sibi conveniant, probat, et equum corporis sui exagitat in eisdem locis, in quibus postea reipsa cruentissimum bellum est aggressurus.

Iam secundam causam adiungo, ob quam voluit Christus Dominus Ierosolymis, relictiis parentibus, manere, ut et magnitudinem amoris, quo nos prosequeretur, patefaceret: et ut, quod ipse nobis faciendum praeceperat, ipse prius opere completeret; ut enim dixit d. Gregorius (lib. 6. in *c. S. Luc.*): *Magister qui de caeteris praebet exemplum, atque ipse praecipit, ipse etiam suorum exceptor est proceptorum.* Dixerat certe a constitutione mundi (Gen. 2): *Propter haec relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae.* Super quae verba d. Paulus (ad *Eph.* 5): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia: relinquit Christus patrem, non discedens tamen ab eo, quatenus qui in forma*

Dei erat, forma servi assumpta, se ipsum exinanivit, ut ait Apostolus (ad *Philipp.* 2), et ab ipso etiam prope mortem voluit derelinqui (Matth. 27): *Ut quid dereliquisti me? Relinquit quoque matrem, ab ea se subducens; et licet multum doleret, tum de absentia matris, quam terrenim diligebat, tum de moerore, quo vehementer Marianam cor sauciandum fore praevidebat; ut nostrae tamen saluti impensus incurberet, et ardentem suum erga nos amorem ostentaret, charissimam etiam matrem relinquit.* Relicto vero utroque parente, uxori constanter adhaesit, nimirum Ecclesiae catholicae, quam sibi copulaturus, tanquam sponsus de thalamo suo processerat: *Et adhaerebit uxori suae.*

Tertiam causam appono: nimirum capropter consulto Christum Dominum Ierosolymis mansisse, ut in templo, quae propria domus Patris erat, ibidem eiusdem Patris negotia perageret. David (Ps. 67) ait: *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu: per Benjamin, qui parvulus erat, intelligunt nonnulli parvulam tribum Benjamin, ob paucitatem hominum, quia funditus deleta fuerat ob stuprum Gabaonitarum, ut habetur (I. *Iud.* c. 20): ex hac tribu, inquit, quamvis parva, veniunt nonnulli etiam ad templum Ecclesiae; et ideo ait: *Ibi Benjamin adolescentulus.* Alii per *Benjamin adolescentulum* intelligunt d. Paulum a Deo vocatum, qui erat de tribu Benjamin, in *mentis excessu*, et extasi, usque ad tertium coelum raptum per altissimam contemplationem. Sed cur non accommodare haec dicemus de nostro Ierosolymis Iesu parvulo, amorum duodecimo? Benjamin (Deut. 33) dilectus dicitur a patre terreno, et Iesus a Patre coelesti (Matth. 7): *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: Benjamin interpretatur filius dexterarum; et Christum David vocat dexteram Patris (Ps. 89): Dexteram tuam sic notam fac.* Quod si maior pars venit ad Benjamin (Gen. 43); Ioannes etiam ait de Christo: *Ecce totus mundus post eum abit.* Quod si tandem in Ecclesia invenitur Benjamin: *Ibi Benjamin in mentis excessu;* etiam Iesus in templo adest in mentis excessu, quae sunt Patris obnixae quaerens, sicut ipse matri dixit (Luc. 2): *In istis, quae Patris mei sunt, oportet me esse.* Quibus verbis praecipuum meo iudicio causam detexit, ob quam Ierosolymis manere decrevit.*

Porro ad causas commemorandas, ob quas inscis parentibus, voluit Iesus in templo manere, sermonem convertimus. Cum enim potuisset illi permanere, suae voluntatis illos certiores faciens, et noluerit, non potest non aliquid mysterii in eo latere, quod illis ignavis id praesertim maxime, cum ob id parentes summum dolore cruciandos certo agnosceret. Euthym., et Graecus ille auctor (in *Cat. d. Thom.* in comment. huius loci), affirmant, divina providentia factum fuisse, ut Christus Dominus, ignorantibus parentibus, mansisset in Ierosalem: quia, si id novisset, prohibuissent illum; aut si illi morem non gessisset, videretur inobediens. Sed haec causa mihi non probatur: quia cum agnosceret sub humana Christi carne latere personam Verbi divini, sine dubio voluntati eius remanendi in Ieru-

salem se conformassent. Qua etiam ratione consulatur illud, quod si morem eis non gessisset, videretur eis inobediens: nam cum firmissime crederent Deum esse, non poterant inobedientiae culpam ei adscribere.

Cardinalis Toletus (in *hunc locum annotat.* 69), et Mald. (ibi § ad tertiam quaest.) arbitrantur, Christum Dominum clam parentibus in Ierosalem remansisse, ut ostenderet, alium se habere Patrem, cuius negotium absque eorum consultatione agere debebat. Quod ut melius intelligatur, observandum est, duo genera operationum fuisse in Christo Domino; quaedam erant communes, quas instar celerarum hominum operabatur, ut parentes adjuvare, et varia obsequia illis exhibere; quaedam vero erant propria ipsius qualenus redemptor, ut miracula facere, verbum Dei disseminare, salutem hominum attendere. In primis operationibus subdebatur parentibus, non necessitate, sed voluntate; in secundis vero solum erat subiectus aeterno Patri. Voluit ergo nescientibus parentibus remanere in Ierosalem, ut qui in multis illucis remaneat parentibus obediatur, significaret se habere quaedam alia negotia, in quibus non ipsis subdebatur, et quae recte exercere poterat ipsis inconsultis. Atque ex eadem causa non male iidem auctores arbitrantur, quod non expectavit ad aetatem adultam, ut hoc faceret, sed cum duodecim annorum esset, id effecit, quia hoc tempus est, quando maior est obedientia filiorum ad parentes: ante enim duodecimum annum, puerorum opera sunt velut infantiae, quae non ducitur perfecto arbitrio, sed velut necessitate quadam; ideo non apparet perfecta obedientia in illis; at cum in duodecimo anno arbitrium perfectum est, et obedientia eo tempore perfecta esse potest. In adultis autem viget quaedam libertas, qui quasi iuris sui sunt in multis: electum ergo est tempus hoc, in quo magis obedire debere videbatur, ut ostenderet se in his, quae propria habebat, non subdi parentibus, sed Deo, cuius erat filius. Scio etiam aliis placere, Christum in aetate sua puerili specimen aliquod divinitatis suae praebere voluisse, ne postea annos natus triginta, nullo dato ante sapientiae suae documento, de improvviso ad docendum prodissset, homines magis admirarentur, quam crederent: nam si haec sapientiae suae ostentatione facta, cum esset puer, postea nihilominus dicebantur Iudaei (Matth. 13): *Unde huic sapientia haec, et virtutes? et (Ioan. 17): Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* in multo peiora, si nullum unquam suae sapientiae in pueritia indicium exhibuisset, prolapsi essent. Id autem duodecimo aetatis suo facere conveniebat, quo potissimum tempore incipit puero-rum ingenium apparere, et capessendis literis aptum esse.

Accedit ad haec causa quaedam moralis, observatione digna. Arbitror enim, ideo Christum Dominum voluisse inscis suis parentibus, et absque illa oram facultate non solum obtemperare, sed neque petita, ab eis se elongare, et in Ierosalem civitate sancta remanere, ut hoc salutare documentum iuvenibus, et ado-

lescentibus suo exemplo praebere, ne cum ad religionis statum properare contentum, desideria sui parentibus, et consanguineis patefaciant, maxime cum propositum suum impedirentur praecoraverint; sed ipsis ignorantibus de saeculi huius fluctuoso, ac turbulento mari ad securam religionis portum conflant. In cuius rei confirmationem (Deut. 33) lego verba illa omni acceptione digna: *Qui dixit patri suo, et matri suae: Nescio vos, et fratris suis: Ignoro vos, et nescierunt filios suos. Ibi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, iudicia tua, o Jacob, et legem tuam o Israel.* Haec enim ignorantia, qua nesciunt, et ignorantur sanguine propinquitatis, scientia est mirabilis apud Deum: enim dixit Gregorius (7. *Moral.* c. 14): *Ille scire Dominum familiaris appellat, qui prae amore pietatis nescire desiderat quos carnaliter scit; gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur.* Immo non solum ignorantibus parentibus, verum etiam prohibentibus, licet ei religionis ingressus: quia dum Christus nos vocat, abnegantibus sunt parentes, dum vocationem nostram impedire salutant; quod quidem eis mirandum non est, ut ait s. Aug. (epist. 38. ad *Lact.*), quia Deus, qui praecipit, ut eos propter ipsum odium habeamus, idem nobis de anima nostra praecipit, dicendo: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem suam, adhaere autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* S. Hier. (epist. 1. ad *Heliod.*) admonens quandam nobilem foemina, ut filiam suam in pudicitia, et castitate conservet, ait ad eam: *Contristabitur pater, sed laetabitur Christus; lugebit familia, sed angelus gratulabitur; faciat pater quod vult de substantia sua: non es eius, cui nata es, sed cui renata, et qui te grandi pretio redemit sanguine suo.*

Ultima tandem causa moralis, ob quam Christum Dominum inscis parentibus remansit Ierosolymis, religiosas personas concernit, nimirum, ut ipse exemplo suo nos informaret, ut quemadmodum ipse ad vacandum impensius rebus divinis a Patre sibi commissis, a propria matre se avulsit, quae tamen nihil impedimento ei esse poterat; ita nos a congressu parentum, et propinquorum, qui multum nobis obesse solent, sedula diligentia abstineamus, et carum, et sanguinis nimiae aquequeamus: sed sicut ipse fuit verus Melchisedech sine patre, et sine matre, et sine genealogia, nam tanquam Patri unigenitus omni sanguinis cognatione carui; et quatenus homo ex Virgine natus a patre mortali nihil accepit: unde et lalem in terris se gessit, ut nec matrem quidem Mariam, nec regiam genealogiam, neque aliquos cognatos suos agnosceret videretur: vocatus enim a matre, et cognatis, continuo dixit (Matth. 12): *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* ita ad imitationem sui nos vult Dominus abactatos esse a laete, avulsos ab uberibus matris, et omni sanguine expoliatos, ac veros Melchisedech imitatores, absque patre, matre, et genealogia secundum affectum.

Dico notanter, secundum effectum: quia haec

elongatio a parentibus, et consanguineis non solum faciendi est absentia corporali, sed praecipue spiritali, hoc est, intimo spiritus affectu: nam qui solo corpore parentes, et cognatos deserunt, similes sunt Absaloni propter fratricidium Amonis propriam patriam deserenti, et in Alienigenarum terram transmigranti, ut legitur (2. Reg. 14): sicut enim iste sola praesentia corporali paternam domum, et amicos reliquerat, brevi tum tempore ad amatam patriam redire voluit: quod ut brevius consequeretur, non erubuit seges loab ad eum venire remorantis comburere; ita qui corpore solum a parentibus, et fratribus recedunt, cito eorum negotiis se involvunt, et honorum desideriorum seges distractionis igne concrenant. Ut ergo perfecta sit haec sequestratio a parentibus, et cognatis, et praesentia corporalis, et affectus vitandus est; praesentia quidem corporalis ad imitationem Abrahamae (Gen. 12) divino oraculo obediens: *Egrederere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et benedicam tibi.* Sicut enim canis non audent domum ingredi, in qua ulnus accepit, nec ad illum hominem accedere, a quo graviter percussus est; ita nos, qui in paterna domo iniquitatum plagas contraximus, et non nisi angulos, et loca, ubi misere deliquimus, videre possumus, et inter fratres, et amicos positi millies a diabolo percussus sumus, domos eorum fugiamus, ne si mus canibus imprudentiores. Cuius sane rei B. Laur. iust. ut in vita eius legitur, illustrissimum dedit nobis circumspeditionis exemplum: vitam enim religiosam aggressus, non solum adolescens, sed et grandaevus, sed et episcopus factus, perpetuo a paterna domo, et acerbis fratribus abstiniuit, semel illam, ut dormitioni matris interesset, semel istam, ut Marcum fratrem inviseret extremum spiritum agentem, post susceptum habitum religionis intravit. Atque huc etiam facit, quod (Gen. cap. 5) dicitur: *Amulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit illum Dominus:* quod et D. Paulus (ad Hebr. 11.) dicit: quae verba trahens Orig. (homil. 27. super Num.), et Ioan. Cass. (collat. 3. c. 7) sic ait: *Ubi per omnes virtutes iter egerit anima, et ad summam perfectionis ascenderit, transit iam de coelo, et ascendit, sicut Enoch non inveniebatur; quod et si videatur adhuc in saeculo esse, qui eiusmodi est, et in carne habitare, tamen non invenitur. In quo non invenitur: in nullo actu saeculari, in nulla re carnali, in nullo colloquio vanitatis invenitur, transtulit enim Deus illum ab iis, et constituit in regione virtutum;* hactenus Orig. Concludo hoc solum dicens, quod si b. Virgo Christum non invenit inter propinquos, et cognatos, Luca dicente (c. 2): *Requierebant eum inter cognatos, et notos, et non inventientes, regressi sunt Ierusalem;* frustra nobis blandientes, existimamus inter parentes, et alios sanguine propinquos, Christum inventuros.

Damna autem, quae ex frequentatione parentum, et consanguineorum, religiosam vitam profitentibus imminet, paucis verbis perstrinxit s. Ioann. Clim. (gradus 30. de peregr.) dicens: *Sicut impossibile est, uno oculo in coe-*

lum, altero in terram aspicere, ita fieri non potest, ut in his anima non periclitetur illius, qui corpore, et cognatione, ab omnibus et propinquis, et extraneis non se peregrinum fecerit. Labore magno, et ingenti fatigatione mores graves, et optimos acquirimus; et quos multo temporis labore acquisiverimus, fieri potest ut uno momento temporis amittamus. Corruptant enim bonos mores colloquia mala, saecularia simul, et turpia. Qui post abrenunciationem cum saecularibus versatur, sive iuxta illos commanet, prorsus, aut in eosdem laqueos incidet, aut cor in eiusmodi cogitatione inquinabit, aut certe, si non inquinatus fuerit, eos qui inquinantur, iudicans, et condemnans, ipse quoque inquinabitur; haec ille. Ex quibus verbis in hunc modum licet philosophari: Si duos oculos habentes coelum, et terram altero simul videre nequimus, quanto minus, si unum tantum oculum haberemus, eodem temporis momento coelum, et terram aspicere valeremus? At unus animus tantum est nobis, unum cor, una voluntas, unus affectus: quomodo ergo possumus eo coelum, terramque complecti, et nos ipsos carne, et spiritu Deo, qui totos nos petit, et parentum, ac propinquorum negotiis occupare? praesertim, cum iuxta dictum Isatae, *angustum sit stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve, quod duos operire non possit;* unde nec poterit Dei, et parentum, ac propinquorum non tantum diversa, verum et contraria negotia tractare. Christus gippe amicus noster est, qui cum Dominus sit, personam etiam amici suscepit, cum protestatus est (Ioan. 15): *Vos autem dicitis amicos.* Parentes vero, et cognati, si nos ad suas curas, et sollicitudines pertrahant, hostes sunt manifesti (Matth. 10): *Quia inimici hominis domestici eius.* Non ergo possumus Christi vestigia sequi, et propinquorum nostrorum, qui nos a Christo avellant, negotiisque, et sollicitudinibus inhaerere cogunt. Hinc aeterna memoria dignum exemplum, Cass. id referente (collat. 24. cap. 9), insignis sanctitate vir, abbas Apollo nobis praebuit: nam cum ad illum germanus eius intempesta nocte venisset, implorans, ut de monasterio suo paulisper egressus, ad extrahendum bovem, quem coeno palustri emissus inhaerere fleviliter querebatur, ei esset auxilio, quia eum solus nequaquam posset eruere; Abbas Apollo pertinaciter obsecravit, cur ait, *iuniorum fratrem nostrum, quem praeteriens propiore, quam me habueras, non rogasti?* Cumque ille, cum mortem olim sepulchri fratris oblitum, et eximia continentiae, ac solitudinis iugitate, velut impotem mentis existimans, respondisset: *quomodo poteram de sepulchro eum, qui ante annos quindecim obiit, invocare?* Abbas Apollo: *Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaque iam posse de huius caelae sepulchro, quae ad praesentis vitae pertinent, tibi conferre solatia?* quem in tantum Christus ad intensionem mortificationis arreptae, vel modicum ad extrahendum bovem non palitur relaxari, ut ne brevissimi quidem

momenti inducias pro patris indulserit sepultura; quod nullo ulique celerius, honestius, ac religiosius fuerat exhibenda? O magnum, et mirabile virum, qui ita ex corde suo amorem propinquitatis carnalem evulsit, ut nec semihora spatium voluerit fratri concedere, et se a religioso occupationis iugitate subtrahere. Hoc facta Abbas Apollo increpationis, et confusions colaphum quibusdam viris religiosus impingit, qui non dicam fratris bovem de lulo extrahere, sed dotem pro sororibus multo labore quaerere, diguitate pro fratribus ambire, facultates eorum augere, ac rerum temporalium oeconomos fieri non erubescunt.

Nos autem quispiam temere iudicet, nimium ausurum, atque immissericordem Abbatem illum erga fratrem suum se exhibuisse, cum brevi tempore perficere potuisset; in memoriam quae-so revocet, quod cum Christus Dominus vocavit quendam, ut sequeretur se, et illi diceret (Matth. 8): *Permite mihi primum ire, et sepelire patrem meum, respondit qui illum ad se vocabat: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuncia regnum Dei.* Alius vero non vocatus disciplinae eius se ipsum ingressi dicens (Lucae 9): *Sequar te, Domine, sed permitte mihi prius renuciare his, quae domi sunt.* Ad quem Dominus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Reddit autem rationem d. Basil. (in constit. monast. cap. 21), quare Dominus neutri eorum tam brevem erga parentem, et erga res suas occupationem permisit? *Atqui, ait, quae uterque rogabat, rationi maxime consentanea esse videbatur, ac iustissima; sed enim neutiquam ea Salvator probavit, neque vel ad punctum quidem temporis serungi ab illo caelestis regni alumnos permisit, ne sublimi illa, et caelesti animi elatione humiliter aliquid, vel agerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenarum, fragiliumque cogitatione depressa, et acclivi. Tanquam, qui ad res caelestes animum adunxerant, iis neutiquam liceat, eorum qui in terra sunt, rationem ullam habere, ut qui iam ex ea animo emigraverint, mentis contemplatione altiores mundo sint effecti.* Verum qui se abdicat a parentibus, consanguineis, et negotiis saecularibus, quae illum implicare solent, oportet non tantum praesentiam eorum corporalem fugere, et curas eorum non suscipere, sed et affectum pariter carnalem, cum in illos propendat, a corde suo eradicare: quod probe agnoscebat Magnus pater Basiliius (lib. 6. Constit. monast. cap. 21.) dixit: *A propinquis autem amicis parentibusque animi affectione non tam longe oportet esse disunctos, quam longe eos, qui iam sunt vita defuncti, a vivis videmus distare: qui enim vere se ad ea, quae ex virtute sunt, certamina exercuerit, mundoque, ac rebus mundanis omnibus nuntium miserit; quique, ut plus aliquid dicam, mundo seipsum crucifixerit, is mundo, et omnibus, quae in mundo sunt, mortuus est, sicut illi parentes sint, sive tertium, quartumque, aut quencis deinceps cognationis gradum attingant, seu oblineant.*

Quantum autem nocumentum non solum affectus inordinatus ad parentes, consanguineos, et propinquos, sed et sola eorum cogitatio religiosa vitae inferre solent, idem s. Pater Basiliius (praec. loco) his verbis manifestavit: *Dia-bolus, cum omnes nos de rebus vitae huius curas exiisse animadvertit, et expeditissimo cursu ad coelum contendere, in hoc elaborat, ut cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit, eo sensim adducat, ut rationibus illorum curandis mentem nostram, ad suscipiendas vitae huius sollicitudines impellat, ut vide-riret illa secum verset, quae res propinquorum sit eiusmodi, quae se possint tutari, ac non: ex contractibus praeterita, lucra, quae veniant, ut illorum fortunas quantopere exaequant: ad haec ea variis, et fortuitis vitae casibus, quo tacturae contingant, eoque illorum rem quantopere minuant; scilicet, ut ex rebus illorum ad vitae commoditates prosperis, una cum ipsis laetumur, itaque ex adersis dolamus; similiterque, ut cum eorum inimici pariter inimicitias geramus, et quod graviter est, qui iusti sumus, ut inimicum neminem habeamus, et amicitis contra faciamus, indignis saepe spiritali connectione. Praeterea, ut de iniquis, ac per illorum fraudes quaesitis lucris huius affectione, denique omnes de rebus vitae huius affectione, quibus exhaustis earum loco spirituales cogitationes induceramus, denovo in animum nobis reduci, quo iterum ad rerum humilium, atque saecularium cogitationem depresso interitum monachum perimit: fit hinc, ut veluti statua sit monachus, quae solam monachi figuram circumferat; nimirum, quae usquam virtutibus sit animata; haec magnus pater Basiliius. Quae, proh dolor! nulli non solum operi exequi, sed et audire multum, quia non sunt ex illis ossibus aridis, carne et sanguine destituti, ad quae se convertens propheta Ezech. (c. 37) dixit: *Ossa arida, audite verbum Domini.* Etenim, qui in religione versantes ossium firmilem in duerunt, et se molli parentum, et cognatorum carne spoliaverit, si libenter, et in se carnis desideria afferrecurrunt, si libenter audiant vocem Dei, et spiritum perfectionis suscipiunt: qui vero e contra, parentum inordinato affectu non sunt exuli, in quibus sanguinis fervor per affectum ad propinquos ebullit, aegre ferunt illa verba audire. Caveant ergo, ne in se testimonium habere experiantur, quod sint extra oves illas, de quibus dictum est a Christo Domino (Ioan. 10): *Oves meae vocem meam audiant; ad eas vero pertineant ad quas ipse dixit (Ioan. 8): Propterea eos non auditis, quia ex Deo non estis.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA III.

Christum Dominum duodenim sapientiae suae thesaurus manifestare inchoasse, singulareque curam habuisse tunc, et per totam suae vitae curriculum veritatem illam docendi, quod Filius Dei, et filius hominis pariter esset, in illa verba: Cum factus esset Iesus annorum duodecim: et illa alia: Et erat subditus illis.

Inter beneficia a supremo honorum omnium largitore humano generi collata, illud certe singulari acceptione dignum est, quod Filius Dei, sapientia Patris, magister et doctor noster officii dignatus fuerit; et quasi parum sibi videretur per prophetarum oracula nos docuisse, per se ipsum non est dignatus ecclesiae doctrina, quam a Patre accepit, ruditatem nostram instruere. Meminit huius tam praerogative benefici Isaias (c.33): *Erant oculi tui videntes praecceptorem tuum, et non facies avolare a te ultra doctorem tuum*; et non facies avolare a te ultra doctorem tuum. Licet enim ascensione instar aquilae, in caelum evolarit, duplici tamen ratione nobiscum mansit; tum tanquam Deus, et homo in propria substantia in Eucharistiae sacramento, tum etiam tanquam doctor, et magister in doctrina evangelica, quam nobis scriptam reliquit, per quam quotidie nos docet, et erudit. Praerogavam autem quod Christus Dominus (Joan. 13) discipulis suis dixit: *Vos vocatis me, magister: et bene dicitis: sum etenim*; certe ipse adeo charum, et pergratum habet nomen magistri, ac ministerii sui munus obire, ut sibi soli illud reservari voluerit, dicens (Matth. 23): *Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus*. Unde et Pater aeternus ad audiendum hunc archimagistrum nos ire monet (Luc. 9): *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*. Atque ad hoc beneficium respiciens magnus pater Augustinus (lib. de quin. haer. ad fin.), inquit: *Gratias tibi Deus, Pater omnipotens, qui et Filium tuum ostendisti, et mihi in doctorem dedisti*.

Ut autem vestra omnium corda ardenti desiderio doctrinam huius supremi magistri audiendi accendantur, et inflammantur, non erit ab re, si excellentiam huius tanti doctoris super omnes magistros variis argumentis demonstrarem.

Primum illud sit, id in eo valde esse singulare, quod doceat, licet nunquam didicerit; ita ut sit magister, cum nunquam fuerit discipulus. Enim Christus Dominus considerari potest a nobis tanquam Filius Dei, vel tanquam filius hominis: si tanquam Filius Dei, manifestum est non fuisse discipulum, cum per aeternam generationem increata scientiam a Patre accepit. Unde cum d. Ambrosius (lib. 2. de fide cap. 4. et lib. 5. cap. 2) prius dixisset Christum Dominum, ut hominem protulisse illa verba: *Mea doctrina non est mea: subditi: In daci; cum doctrinam eius secundum hominem quaerent, et dicerent: quomodo hic literas scilicet*

cum non didicerit? respondit Iesus: Mea doctrina non est mea, nam cum sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed invenierit: advenit enim omnem viam disciplinae, et post haec in terris visus, et cum hominibus conversatus est. Si vero consideretur in quantum homo, licet certum sit animam eius in instanti suae creationis a Verbo scientiam accepisse: hac enim ratione dicit: doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me; ut interpretatur divus Augustinus (lib. 1. de Trin. cap. 12), necnon divus Ambrosius (loco sup. cit.); in rigore tamen non didicit, quia discere imperatam quandam motum, seu progressum ab imperfecto ad perfectum, et ab ignorantia ad scientiam; Christus autem Dominus cum ab instanti suae conceptionis, etiam in quantum homo, fuerit perfecte sapiens, et nunquam ignorans, vere nunquam didicit, sed magister semper, et nunquam discipulus fuit.

Secundum iam subnecto argumentum, apertè etiam demonstrans, quam mirifice Christus Dominus in ratione doctoris, et magistri super omnes emineat. Etenim alii magistri, quantumvis doctrina polleant, si rudes sint, discipulos, et hebetes ingenio sapientes reddere non possunt; at Christus Dominus ad omnem scientiam capessendam ineptos, interdum subito doctissimos reddit, et divinatorum mysteriorum capacissimos, immo et infantium linguas facit esse disertas, ut contigit Danieli, et aliis non paucis. Alia etiam magistri facultatem habent ad proponendum exterius veritates, potestate tamen carent ad illuminandum interioris mentem, et virtutem intelligentiae dandam; Christus autem mentem divinis fulgoribus interioris irradiat, et ad altissima mysteria penetranda, quae sola ratio naturalis non attingit, supernaturale lumen infundit. Alii magistri, tametsi sacra supernaturalium rerum arcana aperientes, intellectum illustrant, vim tamen efficaciter cor tangendi non habent; Christus autem Dominus docebat, tanquam potestatem habens etiam supra corda magnatum et regum (Prov. verb.): *Cor regis in manu Dei est, quocumque volet, vertit illud*. Unde dicit Petrus ad hoc alludens (Joan. 6) dixit: *Quo ibimus? quae vitae aeternae habes, id est, verba quae ad vitam aeternam nos efficaciter dirigunt*.

Tandem illud non leve argumentum est ad ostendendam excellentiam, qua Christus Dominus, tanquam magister super omnes alios eminebat, quod in eo vigilet suprema sanctitas, et vitae puritas, quae ad excellentiam doctoris et magistri maxime pertinet, propter quod ipse dixit (Joan. 9): *Quis ex vobis arguet me de peccato? et continuo subiunxit: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? haec omnia argumenta me docuit divus Thomas (3. par. quaest. 42. art. 1. ad secundum), dum ait: Potestas Christi in docendo attenditur, et quantum ad miracula, per quae doctrinam suam confirmabat; et quantum ad efficaciam persuadendi, et quantum ad auctoritatem loquentis, qua loquebatur, dominum habens super legem, cum diceret: Ego autem dico vobis: et etiam quantum ad virtutem veritatis, quam in sua conversatione mon-*

strabat, sine peccato vivendo; haec enim divus Thomas. Cum ergo Christus Dominus tot nominibus supremus omnium magister esset, probeque agnovisset, quod Salomon dixerat (Eccles. 20): *Thesaurus absconditus, et scientia incisa, quae utilis in utrisque*; coepit in Ierosolymitana illa academia thesaurus absconditi sapientiae suae palam omnibus aperire. Licet autem non sit certum, et exploratum subiectum, de quo loquutus fuit Christus Dominus, quia id sacri Evangelistae reticuerunt; illud tamen ex evangelica lectione deprehendo, verbo, et opere docuisse duplicem catholicam veritatem ad materiam de incarnatione pertinentem, nimirum et quod vere Filius Dei naturalis, et filius hominis esset. Equidem quamvis Christus Dominus permulta sacra arcana toti orbi panderet; nihil tamen ipse a se ind frequentius docuit, quam quod vere Deus, et verus pariter homo esset. Nascitur infans in stabulo, tanquam Deus ab angelis adoratur, canentibus: *Gloria in excelsis Deo*. Cruentum circummisionis vulnus sustinet, ut homo; sed ut ipse Deus est, Salvatoris nomen accipit (Luc. 2): *Vocabis nomen eius Iesum*. Veniunt reges Arabes ad illum adorandum, et sicut homini mortali myrrham, sicut Deo tunc sibi offerri voluit (Matth. 2): *Obtulerunt ei aurum, thuris, et myrrham*. Tanquam homo, insidias Herodis mortem illi machinantis patitur, sed tanquam Deus, ab eius cruentis manibus liberatur, illumque tandem interire fecit. Tanquam homo in exilium Aegypti deicitur, sed tanquam Deus Aegypti idola in terram coerule compulsi. Tanquam homo in templum duodenim abiit, sed ibi tanquam Deus corda Doctorum teigit, ut illum grate auter, ac benevole audirent, ut et ab uno puero seniores edoceri paterentur. Tanquam homo in nuptiis Cana Galilaeae ad prandium invitatur, et tanquam Deus, qui super naturas omnium rerum principatur, aquam in vinum solo nutu convertit. Tanquam homo a Martha in hospitium suscipitur, et tanquam Deus Magdalene peccata condonat (Luc. 7): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Tanquam homo ieiunat, et esurit in deserto, sed tanquam Deus ministratur ab angelis (Matth. 4): *Et ecce accesserunt angeli, et ministrabant ei*. Tanquam homo tentatur a diabolo, sed quia Deus simul erit, dixit ei (ibid.): *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Tanquam homo compassus est caeco a nativitate, et tanquam Deus luto linitus oculos, quod obscurare eos poterat, illuminavit. Tanquam homo manum imponebat, et tanquam Deus infirmis sanitatem, et mortuis vitam conferebat. Tanquam homo permisit se comprehendere, et funibus ligari, sed tanquam Deus comprehensores suos solo illo verbo, *Ego sum*, quod proprium est solius Dei, fecit in terram illos prolabi: *Ceciderunt retrorsum*, ut ait d. Iohannes (c. 18). Tanquam homo ad mortem damnatur, sed causam mortis dicit (Matth. 28): *Quia Filium Dei se fecit*. Tanquam homo crucifigitur inter duos latrones, sed tanquam Filius Dei Patrem coelestem invocat (Luc. 13): *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Tanquam homo in

cruce pendens moritur, sed tanquam Deus solena obscurat, petras scindit, velum templi dividit, sepulera aperit, corpora mortua vivificat (Matth. 26): *Multa corpora sanctorum surrexerunt*. Tanquam homo vita functus sepellitur, sed tanquam Deus propria virtute seipsum ad vitam immortalem suscitavit. Tanquam homo cum discipulis favum melitis comedit, ciecitates vulnerum ostendit, sed tanquam Deus corda illorum inflammat (Luc. 14): *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Tanquam homo super nubem assumptus est in caelum (Act. 1): Et nubes suscepit eum ab oculis eorum; sed tanquam Deus non alienae virtuti, sed propriae innitens, ad empyrei coeli cacumina scandit. Tanquam homo convexum supremi coeli plantis suis contingit, ut ait divus Thomas (c. 3), sed tanquam Deus ad dexteram Patris sedet in aequalitate maiestatis cum illo, ut inquit Hilarius (lib. de Trin.). Tanquam homo praemium laboris gloriosus recipit, et tanquam Deus dedit dona hominibus, et Spiritum sanctum ab eo procedentem in Ecclesiam suam misit (Joan. 14): *Si autem quieris, mittam eum ad vos*. Nonne videlicet quanta fuerit huic supremo magistro sedula cura, duplicem hanc catholicam veritatem edocendi, et quod Deus, et quod homo pariter esset? hoc saepe mihi videtur hodierna die Christus Dominus plane, et luculenter praestitisse: docuit enim non obscure suam divinitatem, dum dixit: *Nesciebatis esse in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? esse autem manifestum, non loquutum ibi de patre putativo Iosepho, cuius nulla ipse negotia in templo peragebat, sed de Patre suo naturali, et coelesti*. Unde Origenes (hom. 20) dixit, his verbis Christum significasse non tantum se esse Deum, sed etiam Dei filium. Et licet tunc auditores veritatem illam non intelligerent, satum tamen illud semen tempore praedordinato a Deo fructum suum reddidit.*

Atque ad hanc suae divinitatis manifestationem, quam Verbum incarnatum publice fecit, per totam vitae suae curriculum, respiciens sanctus Ambrosius (l. 3. de Virginitus), explicans verba illa, *Oleum effusum nomen tuum*; vel ut alii vertunt: *Inguentum crinatum nomen tuum*, haec acute pariter, et sapienter scripsit: *Exanimavit, ut spiraret tibi. Hoc unguentum erat apud Patrem, oleum tantum angelis, descendit Filius Dei, repleta sunt omnia non odore Verbi: Ipse Dei Filius in corpore, tanquam in vase odorem primo cohibebat, usque ad tempus, quo effunderet. Venit hora, aperuit os, exivit unguentum, quando virtus de illo exibat, et sanabat omnes; haec enim divus Ambrosius. Olor autem coelestis illius Christi doctrinae adeo penetravit eos, in quo se diffudit, ut quodque aderant, ad stuporem traheret (Luc. 2): *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant: magnum enim quid totam naturae facultatem excedens in eo odorabant, quod posceat eadem eventum, quando adullus praedicavit (Matt. 7): Admirabantur turbae super doctrina eius; erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et (Marc. 6): Unde huic haec omnia? et quae est sapientia, quae data est illi? hoc eodem stupore,**

et admiratione correpti sunt nunc, isti audientes pueri Iesu doctrinam? Stupor, et admiratio ex ignorantia oritur causae: videt rusticus solis eclipsum, et stupescit, quia causam nescit, nimirum, interpositionem terrae inter solem, et lunam; videt autem astrologus, et tunc miratur, quia causam illam non ignorat. Ignorabant illi doctores, quae causa esset, cur puer duodennis, cuius aetas insipiens esse solet, sapientissime loqueretur, et qui nunquam literis vacasset, tanta esset litteratura praeditus: unde postea dixerunt: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* et idem stupebant. Nos scimus Christum esse sapientiam Patris, et divina, ac humana scientia praeditum; et ideo non miramur, quod mysteria magna loqueretur. Unde cum sacer Evangelista ait, quod in parentes Christi magna tunc cecidit admiratio; *Admirati sunt*: intelligendum est, quod sunt admirati non sicut reliqui auditores propter prudentiam, et responsa eius, nam infinitam eius esse sapientiam non ignorabant, sed quia eum praeter opinionem in medio doctorum disputantem reperissent.

Verum quia Christus Dominus non solum Deus, sed homo pariter erat, veritatem suae humanitatis duplici argumento satis luculenter hic demonstravit: nam in primis aetas illa puerilis duodecim annorum, *Cum factus esset Iesus annorum duodecim*, manifestum indicium erat, illum esse verum hominem, cum tempore mensuraretur, quod solum est mensura terrae corruptibilium; et qua etiam multae creaturae non mensurantur, ut coeli, et angeli, et alia aeiviterna. Quod autem aetatem duodennem, magis quam aliam elegerit, ad manifestandam suam sapientiam, non pauca arcana complectitur, quae brevis sermo non locutus reserabo. Glossa interlinearis hanc numerum duodecim ad duodecim tribus refert, quas ait significari ad Christum esse convertendas. B. Ambrosius (*in comm. hui. loci*), numerum duodecim Apostolorum indicari ait: *Anno*, inquit, *duodecimo, dominicae sumitur disputationis exordium, hic enim praedicandae fidei evangelizantium numerus debebatur*. D. Ambrosium sequitur Beda dicens, *Neque absque providentia duodennis, prima fidei rudimenta revelabat, quae duodecim Apostolorum ministerio cuncta erant revelanda, et elucidanda per orbem*. D. autem Gregorius opinatur a duodecimo incipere anno Solem iustitiae sapientiae radios diffundere, quia in illa aetate pueri discretionis suae specimen exhibere solent; volebat autem, quantum decet, fratribus assimilari: et quidem si tempore quo illi pueri, ob immaturam aetatem, rationis lumine carent, ipse sapientiam manifestaret, illusorum aliquid phantasia a vulgo iudicaretur. Alii dicunt, convenienter in anno duodecimo caepisse thesaurus sapientiae suae aperire, ut confirmarentur in fide, qui ex illis, quae a pastoribus, a Simeone sacerdote, et Anna prophetissa audierant, conceperant spem, puerum hunc verum fore Messiam declarandum: si enim usque ad trigessimum annum id distulisset, facile mutasset sententiam. Alii putant

Christum Dominum duodecim annuum attingentem sapientiam suam voluisse manifestare, quia hic praecipue numerus in divinis eloquiis sacer valde est, et per illum hi duodecim anni Christi Domini, et alia mysteria praefigurantur: duodecim enim fuere prophetae; duodecim fontes aquarum in Elim reperiuntur; duodecim gemmae pretiosae, quae sacerdotibus rationale decorabant; duodecim pueri Davidis, quibus fortiter occumbentibus in praedio, David victoriam reportavit; duodecim cophini panis, qui ex convivio Christi superfuertur; duodecim exploratores terrae promissionis; duodecim lapides altaris, quod Elias divini amoris zelo inflammatus construxit; duodecim viri, quos elegit Iosue, ut totidem lapides ex Iordanis fluvio in terram promissionis asportarent; duodecim portae, quae ad ipsum templum ingrediendum aditum praebant; duodecim tribus Israel, a duodecim patriarchis originem ducentes; duodecim duces Ismael; duodecim viri, qui noluerunt sumere lapides pro terra fabricanda, ex quibus unus fuit Abraham; duodecim leucathi throni Salomonis; duodecim iudices, qui rexerunt Iudaeam; duodecim panes non fermentati, qui in sacro reponebantur; duodecim principes, qui ceciderunt; duodecim fructus ligni vitae; duodecim stellae, quae coronabant mulierem, Ecclesiam significantes; duodecim boves sustentem mare aeneum, quod erat in templo Salomonis; duodecim sedes Apostolorum; duodecimo anno mulier liberatur a fluxu sanguinis; duodecimo mense liberatur Hebraei a morte, quam eis machinatus est Aam.

Sed non solum in divinis literis, verum apud profanas etiam reperio, numerum duodecim valde sacrum haberi. Nam in primis Plato (*in Paedone*) summopere celebrat hunc eundem numerum, duodenario formarum numero describens orbem. In Critia plagis duodecim antiqua ante diluvium describit. In Phaedoneorum, daemoneumque, exercitum sub duce Iove in ordines disponit duodecim. In legibus custodias, magistratus, agros, vicos, civitatemque secat in partes duodecim, quod vero partes orbis sequi circuitum universi dicit, totum octavae sphaerae circuitum intelligit, triginta et sex annorum millibus perficiendum: qui sane numerus tribus millibus duodenariis perfecte completur, adeo ut in primo millium duodenario ex antiquorum sententia intelligas juvenem totum mundi habitum; in secundo viritem; et senilem in tertio. Suam quoque civitatem Diis duodecim commendat Plato, quod et in syderibus zodiaci duodecim a pithagoricis positi fuerint particulares Di, sive animae sitae in cordibus eiusmodi syderum, atque exinde totum sydus regentes; scilicet in corde Arietis Pallas particularis, in corde Tauri Venus particularis, in corde Geminorum Phoebus particularis, in corde Cancri Mercurius, in corde Leonis Iupiter, in corde Virginis Ceres, in corde Librae Vulcanus, in corde Scorpionis Mars, in corde Sagittarii Diana, in corde Capricorni Vesta, in corde Aquarii Iuno particularis, in corde Piscium Neptunus particularis. Octavo

denique libro de republica, duodenarium, tanquam divinum, celebrat, illum asserens magnam civilitatis portendere mutationem, si quando contingerit multiplicari, et pervenire ad suum quadratum; centum quadraginta quatuor poterunt in melius demutari, si prudenti disciplina regantur, nec fato tunc, sed imprudenter collabi poterunt. Idem etiam Plato (*in Thimaeo*) duodenarium facierum numerum format propter sphaeram mundi duodecim, quas ipse constituit; coelos nimirum octo, et quatuor elementa, quibus apponit duodecim intelligentias, quas animas vocat, quarum singulae, quae iuxta Orphoei theologiam, partim congrunt cum mundo intelligibili, ex quo ipsi sunt, partim declinant ad corpora quae producant, duplicem dicuntur habere virtutem. Terra Platonem, et Proserpinam: aqua Oceanum, Tethin; aer Iovem fulminatorem, et Iunonem; ignis Phanaetam, et Auroram; luna Bacchum Ciconem, et Thalia; Mercurius Bacchum Lycium, et Cratum; Venus Bacchum Trietericum, et Melpomenem; Sol, Bacchum, Syleneum, et Enterpen; Mars, Bacchum Baffarem, et Clio; Iupiter Bacchum Zabatum, et Terpsicorem; Saturnus Bacchum Amphietum et Polymniam; universi Bacchum Erythronium, et Calliponem. Accedit ad haec, quod Virgil. (*lib. 1. Georgic.*) cecinit:

Ut certis dimensis partibus orbem
Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Haec sunt, Aries, Leo, et Sagittarius, quae in ignem dominantur: Gemini, Libra, et Aquarius in aerem: Cancer, Scorpio, et Piscis in aquam: Taurus, Virgo, et Capricornus in terram. Quid plura? ostendit duodenarius numerus in animalibus suam perfectionem: nam ut docet Aristoteles (*de nat. Anima. lib. 6. c. 9*) pavo duodecim ova ponit, lepus, et cuniculus foecundissimi duodecies in anno concipiunt, et pariunt, camela duodecim mensibus foetum gerit, et licet tanta sit magnitudine praepedita, usque ad duodecimum diem sine potu perdurat: unde ab Aegyptiis longa ieiunia, et diuturnae sitis tolerantia per hoc animal significata sunt. Ac tandem horae diei duodenario numerantur, iuxta verba Christi Domini (*Ioan. 11*): *Nonne duodecim sunt horae diei?*

Praeterea, illud mirabile scribit Gregorius Cedrenus, auctor Graecus, hoc duodenario spatio cunctas creaturas preces offerre Deo. Primum, inquit, diei hora preces peraguntur in coelo: secunda, preces angelorum: tertia, volucrum: quarta, iumentorum: quinta, bestiarum: sexta angeli assistunt, omnesque discernuntur creaturae: septima, ad Deum intrant angeli, et exeunt: octava laudatio, et sacrificia angelorum: nona precatio, et cultus ab hominibus: decima aquarum inspectio, precesque coelestium, et terrestrium: undecima mutua confessio, et exaltatio omnium: duodecima interpellatio hominum Deo accepta; haec Cedrenus (*in comp. Hist.*) Neque mirandum, quod bruta numeri inscia, Deum laudare dicantur: quemadmodum enim s. Tho. (*2. 2. q. 83. art. 1. ad tert.*) edocet: *Dicuntur, CARTHAGENA de B. M. F. — Vol. II.*

inquit, *bruta Deum invocare propter naturalem desiderium, quo cuncta suo modo divinum bonitatem consequi desiderant: sicut etiam Deo dicuntur obedire ob naturalem instinctum, quo moventur a Deo. Iesus igitur duodennis suae sumit disputationis exordium, eo quod hic numerus non solum naturae congruat, sed in divinis quoque literis sacer valde esse probetur.*

Alii meditantur in ea puerili aetate sapientiam suam hominibus patefescere, ut omnes aetates sanctificaret: ut enim Christi adventus sanctificavit naturam humanam in ea, quam assumpsit ad se Verbum divinum; ita et diversitas aetatum illius sanctificavit nostras aetates, et pro singulis illis varia recte vivendi documenta exemplo, et opere nobis tradidit. Prima aetas infantia est, usque ad septimum annum perveniens, in qua imperfecta sunt et ratio, et corpus, ita ut infans fari nesciat. Secunda pueritia, dicta a puritate, et haec a septimo anno inchoatur, et in quartum decimum terminatur; in qua rationis lumine magis effulget. Tertia est adolescentia, a quatuordecimo ad vigesimumprimum, in qua tam ratio, quam corpus sunt melius disposita, sed non perfecte, quia in utroque adolescit. Quarta est iuventus, a vigesimoprimum ad vigesimum quartum, vel secundum alios ad trigessimum, in qua utrumque est dispositum, ac completum etiam ad iuvandum alios; unde dicta est secundum nonnullos, *Iuventus*, quia alios iuvare potest. Quinta est virilitas, a trigessimoprimum usque ad quinquagesimum, in qua utrumque amplius completum, idoneum magis est ad per se agendum; et in hac Christus operatus est nostram salutem usque ad trigessimumterium. Sexta est senectus, a quinquagesimo ad septuagesimum, in qua corpus decrescit, et declinat. Septimum est senium, vel gravitas, in qua utrumque decrescit, ac minuitur usque ad mortem ob frigus, et corporis corruptionem. Annos autem vitae nostrae accipimus a Davide, qui (*in Psalm. 89.*) ait: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, quos etiam David ipse vixit: triginta enim annis superstes, ut privatus, quadraginta vero regnavit: Si autem in potentibus octoginta anni, et amplius eorum labor, et dolor.* Non me praeterit, d. Ambrosium secutum sententiam Solonis (*in epist. 82. ad Grat.*), annos vitae humanae divisisse in decem aetates, cuiuslibet tribuendo septem annos, nempe, in infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuventutem, aetatem virilem, maturitatem, perfectionem, senectutem, senium, et decrepitem denique aetatem. Sed non est hic locus de istis latius disserendi. Christus ergo erat in secunda aetate, quod attinet ad corpus: nam quod spectat ad rationem, in eo erat perfectissima ab instanti conceptionis, iuxta illud (*Ierem. 31*): *Mulier circumdabit virum.* Christus autem voluit hanc operari, sive prima hora, id est in natali suo, trahendo angelos ad se, pastores, et magos, et peregrinando in Aegyptum. Deinde hora tertia, sive in pueritia, in templo disputando, sapientem doctoribus se ostendit, et parentibus morigerum se praestitit. Hora sex-

ta, in iuventute, et virili aetate, praedicando miracula edidit, ac vitae aeternae acquirere documenta magni momenti dedit, ut omni aetate visus, atque cognitus cunctos ad se traheret. Quamquam autem senex Christus Dominus non fuerit, quia ad maioris sui amoris manifestationem voluit pro nobis mori in flore, et chariore aetate; voluit tamen a senioribus delegari, ac praedicari, et beneficii, ut a Simone sacerdote, et ab Anna propheta, ut hac ratione omnes aetates honoraret, et sanctificaret.

Demum voluit Christus Dominus, ad manifestationem suam sapientiam, expeclare aetatem duodecim annorum, quando iam discursus rationis viget, ut exemplo suo eorum coereret petulantiam, qui antequam ad debitam in literis sufficientiam pervenerint, praedicandi, cathedras ascendendi, supremos Ecclesiae gradus occupandi, ac republicam gubernandi onera superbe, et insipienter assumunt. Quemadmodum enim passerulus, qui nondum editis pennis extra nidum evolare tentat, facile decidit, et breviter interit: et sicut Phaeton inexpertus, ut fixere poetae, solis curam, et equos illum vehentes gubernare praesumens, ignominioso casu in terram prolabens, interit; et terram ardore solis in eam decidens combussit; ita quotquot ad dignitatem Virginis, et ad nostram instructionem in hunc modum loquitur (*hom. 1. sup. miss. est*): *Erant subditus illis, quis? quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus, et potestates obediunt: subditus erat Mariae, nec tantum Mariae, sed etiam Iosepho propter Mariam. Mirare ergo strumliet, et alige qui amplius mireris, sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignationem, utrinque miraculum, et quod Deus foeminae obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo foemina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocumque ierit: quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae etiam praeiit? discere homo obedire, discere terra subditi, discere pulvis obtemperare: de auctore tuo loquens Evangelista: et erat, inquit, subditus illis, haud dubium, quin Mariae, et Iosepho. Erubescere superbe cinis. Deus se humiliavit, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori? utinam nihil aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur quod et suo increpando respondit Apostolo: Vade, inquit, post me satana, quia non sapis ea, quae Dei sunt, quoties enim hominibus proesse desidero, toties Deum meum praesere contendo; et tunc vere non sapio ea, quae Dei sunt: de ipso namque dictum est: et erat subditus illis. Si hominis, o homo, imitari deignaris exemplum, certe non erit tibi indignum, sequi auctorem tuum. Si non potes sequi te, qui cum quocumque ierit, dignare vel sequisi quo tibi condescendit; hactenus divus Bernardus.*

D. Basilius magnus de Christi Domini literis mandavit (*lib. de constit. Monach. cap. 5*): *Primaeva quidem aetate parentibus subditus, juvenis corporalem laborem mansuete, et laboriose cum illis tulit: cum enim homines essent iusti quidem, ac pii, pauperes tamen, ac rerum necessarium haud quaquam abundantes, cuius rei testimonium dat praesepe, verisimile est, assiduo corporalem laborem exercitio victum sibi necessarium una comparasse. Iesus autem istis, ut Scriptura inquit, subditus, obedientiam suam omnem etiam his praestitit, ut simul cum illis laboraret; haec d. Basilius magnus.*

D. Ambrosius autem ponderans exemplum, quod Christus Dominus nobis praebuit, reverentiam, et obedientiam praestans parentibus, haec tanto Patre digna profert: *Quid enim magister virtutis nobis officium pietatis implet? et miramur, si Patri desit, qui subditur matri? non utique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est: et infra: Discere potius tuae voluntatis praecipia, et exempla pietatis agnosce, discere quid parentibus tuis debeas, cum legis a patre filium, non voluntate, non opere, non tempore discrepare; utique nullum Pater ille coelestis laborem generationis expertus est, tu matri debes pudoris inviriam, virginitalis dispendium, partus periculum: matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui misere in ipsis volorum fructibus maius periculum est, et cum ediderit, quod optavit, partu absoluitur, non timore. Quid ancios patres loquar pro filiorum profectu, et multiplicatos alienis usibus census, iactaque agricola semina posterorum aetatibus profutura? nonne pro his obsequia saltem oportet rependi? haec d. Ambrosius.*

Nunc audiamus antiquiorem illo Origenem, qui exemplum hoc Christi Domini non solum ad naturales parentes, sed ad spirituales accommodat, in haec verba? *Discamus filii subiecti esse parentibus nostris; maior minori subicitur: nam quia maiorem Ioseph videbat aetate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filii exemplum tribuens, ut subiciantur parentibus. Quod si patres is non fuerint, subiciantur his, qui patrum aetatem habent: quid loquor de parentibus, et filius? Si Iesus filius Dei subicitur Ioseph, et Mariae, ego non subicitur Episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? non subicitur praesbytero, qui mihi Domini dignatione praepositus est? Peto, quid intellegebat Ioseph, quia maior se erat Iesus, qui subiciebatur sibi, et sciens maiorem esse subiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo unquam quod saepe melioribus praepositus sit inferior, et nonnunquam accidat, ut ille qui subiectus est, melior sit eo, qui sibi videtur esse praepositus; quod cum intellexerit dignitate sublimior, non elevabitur superbia ex eo, quod maior est; sed sciet, ita sibi meliorem esse subiectum, quomodo et Iesus subiectus fuit Ioseph; hactenus Origenes.*

Ad extremum dicendi faciem facio, satisfactione curiose inquirentibus: quid fecerit Christus Dominus anno tertio decimo, et quarto decimo, ac reliquis, usque ad trigessimum, quo caepit evangelicam doctrinam disseminare? Respondeo enim, occupatum fuisse in obedientia. Unde si inquires, quid fecit anno vigesimo? Respondeo id, quod Evangelista, *Sud-*

ditus erat illis. Et si rursus quaeras quid fe-

cit anno vigesimo quinto? respondebo: *Subditus erat illis.* Et si tandem iterum scisciteris, quid fecit vigesimo octavo anno usque ad trigessimum? non verebor eandem responsum tibi dare: *subditus erat illis.* Hoc fecisse satis fuit, ut hinc intelligamus, haec unum esse christiani hominis, et maxime religiosi viri vitam, perpetuo subesse, et alterius imperio, ad Christi exemplum, parere. Illud enim arbitrator christiani hominis praeracissimum egyptatum: *obediit semper*: in eo enim latent praecelra facinora, gloriosus triumphus, ac insignis victoriae, Spiritu sancto dicente: *Vir obediens loquetur victorias.* Cui cum Patre, et Filio sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Sub metaphora solis, de Christi Domini manifestatione in templo disseritur; multiplices sanctorum Patrum eruditio-

ne, ac varis animi conceptionibus verbis illis explicatis: Iesus proficiebat sapientia, et aetate.

Cum incomprehensibilis sit divina, et humana Christi Domini maiestas, ad eam non pro dignitate, sed pro facultate humani eloquii explicandam, sacrae literae variis nominibus Christum Dominum compellant, nunc vocant illum Agnum (*Apoc. 13*): *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*; nunc Leonem (*Apoc. 5*): *Vicit Leo de tribu Iuda*; nunc Aquilam: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos* (*Deute. 32*): nunc serpentem: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto* (*Joann. 3*): nunc ignem: *Deus noster, ignis consumens est* (*ad Heb. 12*); nunc florem, et liliam: *Ego sum flos campi, et lilium concaellium* (*Can. 2*); nunc vitem: *Ego sum vitis, et eos palmites* (*Joan. 15*); nunc magni valoris lapideum: *Ponam in fundamentis eius lapidem pretiosum* (*1. Petr.*); nunc Angelum (*Isa. 9*): *Magni consilii Angelus.* Verum inter haec, et alia pensae infinita, et clarissima epitheta, quibus Christus Dominus in sacris literis decoratus, solis nomenclatura principem locum tenet, eius metaphora usus est Malachias (c. 4): *Orietur vobis timensibus nomen meum sol iustitiae, peneon d. Paulus* (*1. Cor. 4*): *Qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Consulto tamen, omissis aliis solis proprietatibus, quas late refert d. Dionysius (*de divinis nominibus cap. 5*), nimirum, quod sit nitivum ens, uniforme, quod illuminat, renovat, custodit, perficit, discernit, unit, refovet, foecundat, auget, mutat, colloca, plantat, removet, et vivificat; ea dumtaxat in medium producam, quae ad praesens mysterium inventi Christi Domini in templo a d. Virgine in medio doctorum magis illustrandum, aptiores mihi visae sunt.

Et quidem in primis solis metaphora non obscure nos docet, quomodo intelligenda sint verba illa, quae haereticis in sinistris intorquent sensus: *Proficiebat sapientia, et aetate.*